



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 3. Diabolus Mauri specie Dei seruos ab oratione impediens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

pleraque sceleratis missa, terrorem iniecerunt, ut exitium suum vel cauerent, vel ad aliorum exemplum in hac vita inciperent; quod sanè Alastores isti subinde, ingratijs suis ac vel inuiti, facere coguntur.

§. III.

Diabolus Mauri specie Dei seruos ab oratione impediens.

Io. Diac.
in vita S.
Gregorij
l. 4, c. 89.

Sed ad Christianos redeamus Tartareis monstris, patientiæ causa, vexatos. Refert Ioannes Diaconus, Spiritum quendam habitationem suam habuisse, post absidem oratorij, vbi S. Gregorius Deo laudes consueuerat celebrare; eundemque intempestiuo sæpius incurso S. virum orationi intentum tumultuosissimè perturbasse: equos ex stabulo eduxisse: duos ex ipsis præcipientes egisse: viros religiosos eiusdem cum B. Gregorio professionis; nunc in forma cati vnguibus tentasse lacerare, nunc sub specie Æthiopis lanceâ petiuisse. Adeò infestus est Deo per preces supplicantibus, ut varias artes excogitet, quibus orationes sacras interrumpat. Præsertim autem ijs, qui à turba secedunt, ut secum habitare & cum conscientia sua, aut cum Deo soli agere possint, Christum in solitudi-

nem sequentes. E qua etiam eos extrahere
 amat, sicut extraxit illum, quem, D. Gre-
 gorio teste, D. Benedictus vidit extrahi.
 Nam cum vir Dei venisset ad monasterium,
 & constituta hora expleta Psalmodia se se fra-
 tres in orationem dedissent, aspexit, quod mo-
 nachū qui in oratione manere non potuit, qui-
 dam niger puerulus per vestimenti fimbrias
 foras traheret, extra oratorium scilicet. In
 S. Antonij vita legitur, post varias & atro-
 ces pugnas, tandem teterrimum draconē
 in atrum se vertisse Æthiopem. Cum enim
 videret se semper ab eius cogitationibus repelli,
 secundum quod scriptum est, stridens dentibus
 & ululans, qualis est merito, talis apparebat
 & vultu: puer horridus atque niger, ad eius se
 genua prouoluens, humana voce flebat dicens:
 Multos seduxi, plurimos decepi; nunc autem,
 ut à ceteris sanctis, ita & à tuo sum labore su-
 peratus. Factus est autem se esse spiritum
 fornicationis. Hoc victo atrocissimè à Tar-
 tareis laruis verberatus, cum stare pedi-
 bus non posset, humi prostratus dicebat:
 Ecce ego hic sum Antonius: non fugio vestra
 certamina, etiamsi maiora faciatis. nullus me
 separabit à charitate Christi. Psallebatq; di-
 cens: Si consistant aduersus me castra, non ti-

Ec 4

mebit

S. Greg.
 l. 2. dial.
 cap. 4.

Sur. 17.
 Ian.

mebit cor meum. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus admiratus, quod post tot verbera fuisset ausus reuerti, congregatis canibus suis, & proprio furore se lanians: Videtis, ait, quod nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter laceffit nos. Omnia arma corripite, acrius nobis impugnandus est. Sentiatur, sentiatur: debet scire, quos prouocet, &c. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita ut loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria demonum exinde turba se effunderet. Nam & bestiarum, & serpentium formas induentes omnem protinus locum replerent phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, nec non & pardorum atq; vrsorum. Et hec singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens: taurus mugitum & cornibus minabatur: serpens sibilo personabat: luporum impetus inhiabat; pardus discolor a tergo, authoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horrida dirus auditus. Antonius flagellatus atque confossus sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente peruigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quae

sede

si de inimicis luderet, loquebatur. Si virium aliquid haberetis, sufficeret unus ad proelium; sed quoniam Domino vos enervante, frangimini, multitudine tentatis inferre terrores: cum hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quod irrationabilium induitis formas bestiarum. Rursumque confidens aiebat: Si quid valetis, si vobis mei potestatem Dominus dedit, ecce prae sto sum; deo rate concessum: Si verò non potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Certant pictores de his monstris inferni penecillo exprimendis. Videtur enim Stygius archipirata omnes copias totamque classem suam, contra unum hunc Christi heroem conuocasse. Sed nihil effecit, sciuit enim Antonius, se contra laruas pugnare, tantoque fuit clarior eius victoria, quanto plures diuersioresque hostes superauit.

§. IV.

Variarum bestiarum figurae, in quas se Stygius Vertumnus transfiguratur.

Has autem laruas, fumum, fucum, pigmentum, hanc caliginem & fuliginem, quam Acherons omnem, velut in confluentem collectam, opposuit Antonio, aliàs